



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

73. An sponsiones super electionem Pontificum, & Cardinalium hodie sint
licita? Et an istae sponsiones sint illicitae ex eo, quod alter decertantium
sæpe sit certas de electione Cardinalium ex ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

diffic. 9. Ita asserit. Esse autem probabile cum, qui certus de eventu, vel de veritate, siue experientia sensuata, siue scientia, siue diuina reuelatione, siue aliter, sponsonem facit cum altero, eam certitudinem ignorante, non peccare nec ad restitutionem lucri teneri, iudicauimus, diffic. 7. & nunc id non solum esse probabile, sed etiam verum existimamus, vt contra non paucos docent Coaruaruias *ubi supra*, Nauarr. *in sum. c. 20. n. 18.* Toletus *lib. 5. c. 2.* Layman *tratt. 4. c. 21.* Sa *de Contractibus, n. 21.* & Decius *conf. 115.* ducimur autem ad id ratione adducta in ea *diffic. 7.* Hac Hurtadus, & ego.

4. Hinc ego contra Sanchez *ubi supra, n. 14.* non damnam ad restitutionem adolescentem, qui in sponsonem apposuit magnam summam ad recitandum plures versus, licet in memoria, & in ingenio notabiliter collusorem excederet.

RESOL. LXXIII.

sponsones super electionem Pontificum, & Cardinalium hodie sint licitae?

Et an istae sponsones sint illicitae, ex eo quod alter decernantium sepe sit certus de electione Cardinalium ex testimonio alicuius, qui plurimum valet apud Pontificem, cuius est Cardinales creare?

Et quid, si Titius ex ipso Pontifice audierit Caium esse creandum Cardinalem, an possit Titius sponsonem facta decernere Caium futurum esse Cardinalem? Ex p. 7. tr. 9. Ref. 67.

Has sponsones Pius IV. prohibuit solum tempore Sedis Vacantis, & in vrbe Roma, vel vbi Conclauis fieret, & solum sub poenis arbitrio gubernatoris, & futuri Pontificis: quam solum Bullam vidit Azorius, & idem *lib. 1. cap. 20.* dixit lucrum ex illis sponsonibus retineri posse, quia consuetudine videbatur derogatum Bullae eas sponsones irritant, nec contrahentes vlla censura ligari, nec extendi prohibitionem ad sponsones super Cardinalis alicuius electionem. Postea tamen Greg. XIV. in Bulla, qua incipit *Cogit nos*, renouauit Bullam Pij IV. eamque extendit ad sponsones super Cardinalium electione, & ad omne tempus etiam ante Sedem Vacantem, & ad omnem locum etiam extra vrbes, & locum electionis, & addidit excommunicationem latae sententiae Papae reseruatam, & denique de nouo has sponsones irritauit, & annullauit: quare post Bullam hanc lucrum restituendum erit, cum sit ex contractu omnino irritum.

2. Et ideo defunt hodie omnes Quaestiones quas adducit Azorius *loc. cit.* & Faustus *in Spec. Confess. disp. 32. q. 48. & seq.* Vnde Hurtadus *de contr. disp. 8. diffic. 9.* sic ait: Addimus tamen iure positio Bullae Gregorij XIV. qua incipit, *Cogit nos*, sponsones factas super vita, vel morte, vel electione passua Summi Pontificis, vel Cardinalium prohiberi sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, reseruate summo Pontifici, cuiusmodi irritas reddi, ac proinde lucrum eis sponsonibus acquisitum restituendum esse in foro conscientiae. Ita ille.

3. Verum seclusis dictis prohibitionibus, quaero primo, an istae sponsones essent illicitae ex eo quod alter decernantium sepe sit certus de electione Cardinalis ex testimonio alicuius, qui plurimum valet apud Pontificem, cuius est Cardinales creare? Respondeo non ob hoc esse illicitas quia semper manet res dubia, & incertae pendens ex voluntate libera, & mutabili Pontificis. Tum quia testimonia humana solum faciunt certitudinem humanae fidei, quae sepe decipitur, & fallitur, & hominum voluntates, etiam Papae Cardinales eligere volentis, sepe mutantur, aut variis de causis mutari possunt.

4. Sed quid, si Titius ex ipso Pontifice audierit Cai-

um creandum esse Cardinalem, an possit Titius sponsonem facta decernere, Caium futurum esse Cardinalem? Respondeo affirmatiue, quia voluntas Pontificis sepe mutari solet, licet contrarium asserat Azorius *107. 3. lib. 1. c. 20. dub. 5.* licet quoad primum dubium mecum sentiat cum Faustus, *ubi supra, q. 52.*

RESOL. LXXIV.

An qui contestatur se scire certo, & alter contendit, & adhuc vult spondere, teneatur restituere?

Ex quo etiam inferitur, quod quando alter colludentium nouit excessum notabilem alterius in ludendo aleis, vel taxillis, aut alterius ludis, vel alter admonet ipsum, an inquam; in tali casu hic excedens teneatur pecuniam, quam lucratus est, restituere? Ex p. 4. tr. 4. & Milci Ref. 186.

1. 1. Affirmatiue respondet Alcozer *tratt. de ludo, c. 47.* Garzias *de contract. p. 2. c. 18.* & alij, quia talis censetur deceptus spondere.

2. Sed ego contrariam sententiam teneo cum Medina & Lopez, quos citat & sequitur Sanchez *in Opusculo. lib. 1. c. 8. dub. 13. n. 11.* quibus ego addo Villalobos *in sum. tom. 2. tratt. 28. diffic. 6. n. 2.* quia in tali casu nulla est fraus, & talis sibi imputare debet suam temeritatem. Hinc inferatur decisio alterius casus, nempe quando alter colludentium nouit excessum notabilem alterius in ludendo aleis, vel taxillis, aut alterius ludis, vel alter admonet ipsum, & de hoc contestatur, quod excedit ipsum notabiliter, an, inquam, in tali casu hic excedens teneatur pecuniam quam lucratus est, restituere? Alcozer *c. 19.* & Garzias *c. 14.* quia alter non videtur cedere iuri suo, sed nimia ductus passione & cupiditate ludit. Sed tu potes securè in praxi negatiuam sententiam tenere, quia volenti consentienti nulla fit iniuria. Ita vterque Medina, Salmanticensis, & Complutensis, hic *in summa, lib. 1. c. 14. §. 28.* ille verò *C. de restit. q. 22.* & alij, quos citat & sequitur Sanchez *loc. cit. n. 7.* Verum Rebellius *p. 2. lib. 12. q. 3. n. 3.* putat hanc sententiam procedere, quando lucrum non sit ita magnum, vt possit esse poena proportionata tali culpa. Sed absolute negatiuam sententiam docet Sanchez, cui adde Azorium *to. 3. lib. 5. c. 25. quae. 4. in fine.*

RESOL. LXXV.

An qui protestatur se esse certum, si tamen collusor contendit, & vult spondere, an possit alter sponsonem acceptare?

Ex quo etiam alij casus in textu huius Resolutionis inferuntur circa sponsones Ex p. 7. tr. 9. Refol. 63.

1. Nominatim contra me negatiuam sententiam tenet Eminentissimus Dominus meus Cardinalis de Lugo *de iust. 10. 2. disp. 31. c. 6. n. 8.* & seq. qui citat Molinam *disp. 508.* Alcozer, Garziam, & alios. Quia putat Lugo, quod iustitia sponsonis debeat imitari iustitiam venditionis, qua venditur pretio moderato gemma, de qua vterque contrahens dubitat, an sit vera, vel falsa, & ideo venditur cum vicio intrinseco, si forte illud habeat, quia vterque exponit se periculo in illo dubio: sicut ergo qui sciret, gemmam illam esse falsam, non posset etiam petente, & non credente emptore, accipere pretium, quod offert; ita in sponsonem, qui scit, ius illud, & spe falsam esse, non potest pro illa accipere ius certum ad lucrum, etiam petente, & non credente aduersario; nisi aperte constet de animo spontaneo donandi, quem animum ferè nunquam praesumi posse, probat Molina. Quod autè dicunt Sanchez, & alij, posse accipi in poenam temeritatis, non subsistit; tum quia idem dicit

Sup. hoc in Ref. 186.

Sup. hoc sup. in Ref. 36 §. ult. & in Ref. 38 per totam.